

stimat, qui se ad unius vel alterius à Philosophis auctoritatem contulere, nec fas sibi esse putant ab iis quos semel probârunt discedere. Verùm ista quidem ut volent, (ita pergit Hamelius ex propria jam mente quoq; modestissimè, quid sibi videatur, dicturus) nec enim hoc loco meam interpono sententiam, aut usitatum in scholis morem, cui sua ratio constat, velim reprehendere. Id mihi æquum videtur, ut quisq; suo utatur judicio, & in eo philosophandi genere acquiescat, quod credit optimum. Confer ea quæ sub persona Simplicii disserit idem Hamelius Dial. de Fossilibus Lib. II. cap. IX. sub init. & Tract. de Mente humana p. 66. Jungi verò his utiliter poterunt sequentia FRANCISCI REDI Nobilis Aretini Academici della Crusca, quæ leguntur in Epist. de viperis ad LAUR. MAGALOTTI MAGNI Ducis Hetruriæ Camerarium p. m. 28. *Laudo omnes Sectas Philosophorum, & in omnibus invenio plurimas res, quæ, ubi denudatæ, monstrant veritatem; sed etiam in iis invenio multa, quæ cum veritate parvum vel nullum habent consensum. Amo Thaletem, amo Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Democritum, Epicurum, omnes illos principes Sectarum Philosophicarum, attamen hoc non fit, ut vellem serviliter jurare in illorum verba, & pro veritate habere omnia illa quæ dixerunt, aut scripserunt, sicut quotidie fieri solet.*

X. Sed quid opus est singulorum suffragiis, quæ innumera è scriptis recentiorum huc possent congeri? Integræ hoc ævo Philosophantium Academiae & Societates, per Italiam, Galliam, Angliam, Daniam, nostram deniq; Germaniam, institutæ, suos gregatim adjiciunt calculos; prout Gallorum *Journals des Scavans*, à *Giornali Veneti* & *Romani*, à *Saggi di naturali esperienze fatte nell' Academia del Cimento*, Anglorum Danorumq; *Acta Philosophica*, & *Natura Curiosorum Ephemerides*, aliaq; privatim à quibusdam earum Societatum membris edita scripta, abundè testantur. Imprimis autem de regia Anglorum Societate id notandum hîc est, ex relatione *Monconisi*, oculati auritiq; testis, in Itinerario ejus Gal-